

entis, verum est; in genere signi et artificialis sacramenti, nego.

XXIV. Instabis: Unitas sequitur entitatem in se: ergo entitatem simpliciter unitas simpliciter: sed simpliciter sacramentum est plura entia, et non unum, ergo simpliciter unitatem non habet. Item: Unitas sacramenti est unitas secundum quid, ut S. Thomas dicit in iv ad Annibaldum, distinctione prima, quia est unitas relativa; ergo sacramentum non est unum simpliciter. Item: Physice est ens per accidens, ergo realiter non habet unitatem nisi per accidens, et sic realiter sacramentum non est unum, sed secundum rationem.

XXV. Ad primam instantiam respondetur, quod unitas transcendentalis et entitativa sequitur entitatem absolute; unitas autem artificialis aut moralis sequitur entitatem non absolute, sed ut subest arti aut institutioni morali. Et ideo si hæc est una, simpliciter in illo genere habet unitatem, licet non in genere entis. Ut autem aliquid dicatur simpliciter unum, quando est compositum, sufficit quod sortiatur speciem ab aliquo uno, quod vel sit forma, vel compositio, vel ordo, ut egregie S. Thomas dicit vii metaphysic. lect. xvii.

XXVI. Ad secundam instantiam respondetur, quod unitas secundum quid dupliciter sumitur, uno modo ut opponitur unitati per se, id est, substantiali: alio modo ut opponitur unitati simpliciter, id est, quæ non est per accidens: primo modo dicitur unitas sacramenti esse secundum quid, quia est accidentalis, id est, relativa; sicut omne accidens est ens secundum quid; et consequenter unum secundum quid: secundo autem modo non est unum secundum quid, quia ut sit aliquid unum secundum quid, id est, per accidens, oportet quod species ejus

sumatur a multitudine partium collectarum, ut populus, acervus, ut S. Thomas citatus dicit.

XXVII. Ad tertiam instantiam dicitur, quod sacramentum realiter moraliter, seu fundamentaliter est unum. Eo enim modo quo forma sacramentalis datur in re, eo modo præbet unitatem realem, scilicet, moraliter et fundamentaliter supposita institutione, sicut esse judicem aut doctorem est unum, licet tales formæ sint entia rationis, quæ fundamentaliter et moraliter præbent denominationem in re.

XXVIII. Si instes: Etiam in genere signi est multiplex, nam verba signa sunt, et res etiam instituitur ut signum; ergo etiam in ratione signi est ens per accidens, respondetur in ratione signi sacramentalis non esse multiplex, sed unum, quia signum sacramentale postulat constare ex illis rebus, et verbis, et in ratione sacramenti tantum subest uni institutioni, et sic est unicum signum in ratione sacramenti, esto in alio genere, ut subest pluribus institutionibus, plures habeat rationes signi.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, quod ens rationis non habet quidditatem realem, sed tamen habet objectivam, et secundum illam definiendum est, quia sicut intelligibile est, ita et definibile, præsertim quando ens rationis non est quid pure fictum et chimæricum, sed habet fundamentum in re.

XXX. Quomodo sacramentum dicendum sit ens reale et non ens rationis, licet quidditative includat pro formali ens rationis, habes supra præcedenti articulo, dubio secundo. Admittendum est enim artefactum essentialiter et quidditative formam includere. Licet enim in genere substantiæ et entis, materia artefacti sit tota ejus substantia et suppositum, in genere tamen arte-

facti habet speciem ex forma artificiali, et quando non habet formam artificialem, non est artefactum in actu, sed in potentia: ergo artefactum in actu formam essentialiter includit. Sicut enim sine forma humana non datur homo essentialiter, sic sine forma artificiali non datur artefactum essentialiter.

XXXI. Et hoc in omni concreto accidentali verum est, nam sive sumatur concretum illud ut compositum ex his, vel ut compositum huic essentialiter includit formam. Primo modo patet, quia ut compositum ex his, dicit subjectum et formam ut partes ex quibus componatur, atque adeo essentialiter includit ea, ex quibus componitur: secundo modo etiam patet, quia ut compositum huic, dicit de formali formam et de connotato subjectum, cui inhæret, et cui conjungitur et componitur: ergo essentialiter tunc includit formam et in recto; subjectum autem ex parte modi significandi aut inhærendi.

XXXII. Sed quæres: Quando dicitur, quod sacramentum significat rem sacram in quantum nos sanctificat, cum ly sanctificare importet causationem sanctitatis, quam causalitatem significet sacramentum formalem, an efficientem, vel finalem. Respondetur omnia ista genera causarum significari a sacramento, ut articulo tertio latius dicitur. Significat enim Christum, qui est causa efficiens sanctitatis; gratiam, quæ est causa formalis; gloriam, quæ est finalis.

XXXIII. Sed an semper debeat significare gratiam ut formaliter causantem; an sufficiat significare illam in genere causæ finalis, et dandam aliquando, dubium est. Respondetur tamen, omnia sacramenta etiam antiqua, signasse gratiam non solum in genere causæ finalis, sed etiam formalis, et ut signa de-

monstrativa, non solum ut prognostica. Ratio est, quia talia erant sacramenta, ut in exercitio eorum gratia conferretur; erant enim signa practica, et significabant gratiam ut in exercitio dandam, saltem ex vi dispositionis recipientium: ergo significabant gratiam non solum ut dandam in futuro tempore, sed ut tunc in exercitio conferendam, quod præsertim in circumcissione apparet.

XXXIV. Nec enim ulla ratio afferri potest, quod si per usum sacramentorum dabatur gratia, et illa ordinabantur ut cæremoniæ per quorum usum sanctificarentur, et disponentur cultores Dei, quomodo non significabant ipsam gratiam, quæ in eorum usu dabatur, sed solum illam quæ post Christi tempore danda erat. Nec hoc negat D. Thomas, quamvis dicat sacramentum significare gratiam per modum causæ formalis vel finalis. Abstrahit enim, vel potius includit utrumque sacramentum (saltem veteris legis) non tamen caret significatione gratiæ per modum causæ formalis.

XXXV. Dices: Artefacta debent definiri per materiam, cum hæc sit tota substantia eorum: ergo male definitur sacramentum per signum. Respondetur hoc esse verum quando physice definiuntur, non quando metaphysice per suum genus et differentiam. Secundo, hoc esse verum, quando definiuntur in particulari, non quando definiuntur in communi, ubi determinatam materiam non includunt. Cætera argumenta, aut in Nugno et Cabrera, super istum articulum satis clara sunt, aut ex his, quæ nos excludimus a ratione sacramenti.

DUBIUM SECUNDUM.

AN SACRAMENTA NOVÆ ET VETERIS
LEGIS UNIVOCE CONVENIANT IN GE-
NERE SACRAMENTI.

Conclusio est affirmativa.

XXXVI. Cujus explicatio constat ex his, quæ requiruntur ut aliqua univoce conveniant. Univoca enim dicuntur, quorum nomen commune est, ratio vero significata est eadem. In præsentia autem relicta communitate nominis, quam constat convenire sacramentis veteris legis, res significata per nomen et definitionem sacramenti, scilicet, esse signum rei sacræ sanctificantis nos, manifestum est quod sit eadem in sacramentis novis et antiquis. Nam ipsa vere et proprie, et non secundum quid erant signa rei sacræ: et non denominative, aut participative a novis sacramentis, si quidem vere et proprie, et non secundum quid instituta a Deo fuere, ut signa et cæremoniæ religiosæ in ordine ad sanctificationem hominum. Similiter fuerunt signa rei sacræ perfecte sanctificantis homines, idque practice, nam fuerunt signa gratiæ dandæ in fide Christi, sive tunc in exercitio, sive post tempore legis gratiæ. Fuerunt etiam signa ipsius Christi, qui est fons gratiæ.

XXXVII. Apparet id in circumscriptione, quæ signum erat justificationis parvuli, aut circumcisi adulti, in fide suscipientis aut circumcidentis; et in aliis etiam sacramentis, secundum dispositionem accedentium dabatur gratia utentibus illis signis, ut sacris et religiosis. Practice etiam id significabant, quia non erant instituta et data ad hunc finem, ut per ea solum popu-

lus cognosceret gratiam et res sacras, sed ut vere per exteriora illa signa protestaretur religionem, initiareturque illa, et sanctificationem acquireret, religiose illa accipiendo et cum debita dispositione in fide Christi, et promissiones etiam erant venturi Christi, gratiæque et gloriæ dandæ per illum. Promissiva autem signa et pacta, practica sunt, et non solum speculativa, ut patet in humanis contractibus, ubi promissio exterior non est signum speculativum, sed practicum et obligationem inducens.

XXXVIII. Constat ergo, quod ex institutione sua peculiari sacramenta antiqua habuerunt omnia, quæ ad definitionem sacramenti requiruntur, et sic univoce fuerunt sacramenta. Constat et hoc ex S. Augustino XIX contra Faustum. Et sicut religio verus et nova univoce conveniunt in ratione religionis, ita et sacramenta, quæ talium religionum sunt symbola, et veluti columnæ ac exteriores protestationes, debent univoce convenire.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIX. Sed objicies primo: Nam sacramenta antiqua non conferebant gratiam, sed erant vacua elementa; ergo non poterant univoce convenire cum sacramentis nostris, quæ in ipsa ratione sacramenti habent continere gratiam et conferre illam. Confirmatur: In nostris sacramentis illud est essentia, quod est principalis; est autem principalis conferre et continere gratiam: ergo hæc est eorum essentia; in hac autem non conveniunt vetera sacramenta: ergo. Confirmatur secundo, quia de ratione sacramenti est, quod sit signum practicum, et consequenter efficit quod significat; sacramenta autem vetera non efficiebant

quod significabant; ergo non erant signa practica, et consequenter nec univoce sacramenta.

XL. Respondetur probare argumentum, quod non conveniebant sacramenta vetera cum nostris in ratione specifica et differentiali; non tamen quod non conveniebant in ratione generica. Ratio enim generica sacramenti non est continere suum significatum, sed practice illud significare, sive efficiat illud et contineat tamquam instrumentum, sive ex ejus usu et dispositione utentis detur. De ratione enim essentiali signi practici, non est quod causet per ipsam rationem signi, sed quod manifestet et sensibilem faciat intellectum practicum; et ita ordinetur ad opus, sive illi communicetur virtus operandi, sive non: sufficit enim quod ad opus ut ad finem ordinetur. Et sicut intellectus practicus non est necesse quod influat in objectum exterius efficienter, sed sufficit quod operatio fiat mediante alio, ut patet in architectonico, qui non exequitur opus, sed ordinat; ita neque signum oportet quod eam efficientiam et virtutem habeat, ut sit practicum, sed sufficit quod id quod intellectus intus cogitat practice, signum exterius manifestet etiam practice, id est, cum ordinatione ad opus, et non ad cognitionem tantum, etsi non quod cum efficientia ad opus.

XLI. Ad primam, confirmationem respondetur primo, quod id quod est principalis in una re est essentiale, sed non essentiale per modum generis, sed per modum differentiæ, et ita esse causativum gratiæ est principale in sacramentis nostris, et ideo non est genericum eorum prædicatum, sed differentiale; et ita non oportet, quod in eo conveniant sacramenta antiquæ legis, sed ut in generico prædicato conveniant.

XLII. Secundo respondetur, quod causativum gratiæ, licet ex se sit quid nobilius quam significare, tamen eo modo quo in sacramentis reperitur, non est quid nobilius. In sacramentis enim non est ratio causandi ut quid primo ei competens, sed ut participative ab alio derivatum, scilicet a Christi passione, et sic non ut constitutivum sacramenti, sed supponendo ejus essentiam, et communicando ei hanc virtutem ut vices ejus gerat. Esse autem signum convenit ei primo et per se, et non derivative et denominative ab alio. Item etiam non convenit eis causativum pure, sed subordinatum significationi sacramentali. Causant enim quod significant, et ita licet causare ut sic nobilius sit quam significare, tamen causare ut sacramentaliter et significative, et cum subordinatione ad significationem, non est nobilius et principalis.

XLIII. Ad secundam confirmationem patet ex dictis; de ratione enim signi practici non est quod efficiat ex ipsa ratione signi, quasi in ea habens virtutem efficiendi, sed quod ordinetur ad opus ut ad finem principalem, sive exerceatur hoc opus mediante virtute ipsi signo communicata, sive ei ab extrinseco adjuncta, nempe mediante dispositione utentis, aut quid simile, ut explicatum est, præsertim, quia nec de ratione intellectus practici est, quod habeat efficientiam in ipsum objectum externum.

XLIV. Secundo objicies: Nam figura et figuratum non possunt univoce convenire, sicut homo pictus et vivus; vetera autem sacramenta fuerunt figura et umbræ novorum: ergo non possunt univoce dici sacramenta, sicut nec umbra et res adumbrata.

XLV. Respondetur, quod quando figura et figuratum taliter se habent quod figuratum non est etiam figura

sed res, et figura est pure figura talis rei, non conveniunt univoce: quando vero figuratum est etiam simul figura et signum intrinsece, non repugnat univoce convenire. Exemplum theologicum est in nostro sacrificio et sacrificio Christi; hoc enim figura est et signum commemorativum sacrificii cruenti, et tamen univoce cum illo est sacrificium. In naturalibus vero videmus, quod signum signi et imago imaginis univoce in ratione imaginis conveniunt. Licet enim in quantum hæc est figura, et illud figuratum ejus, se habeant sicut pictum et verum, tamen in quantum hoc figuratum habet se ut figura respectu prototypi, univoce convenit cum imagine sua in ratione signi, et imaginis unius tertii, quod ab utroque repræsentatur. Sic autem gratia, quæ est quid repræsentatum a novis et veteribus sacramentis, unice ab utrisque repræsentatur, licet perfectius a nostris, respectu quorum etiam antiqua se habebant ut signa et imago.

XLVI. Ex quo sequitur, quod quamvis intrinsece sacramenta vetera fuerint umbræ et imagines nostrorum sacramentorum, tamen non ideo habebant rationem prioris et posterioris, quæ sufficeret ad analogiam, licet haberent rationem prioris et posterioris in ipsa ratione particulari et specifica, sed non in generica, quia etiam nostra sacramenta erant imagines et signa gratiæ, et sic respectu gratiæ, quæ est significatum utriusque sacramenti, licet perfectiora sint nostra quam antiqua, tamen proprie etiam antiqua gratiam significabant, et erant signa illius, licet etiam essent signa nostrorum. Prioritas enim et posterioritas hæc non tollit univocationem signi et imaginis, sicut in exemplis adductis patuit de signo signi, etc.

XLVII. Tertio objicies: Nam significare rem ut præsentem aut ut futuram sufficit constituere analogiam in signis, ut patet, quia verbum significans de præsentem est verbum, et significans de futuro aut de præterito non est verbum, nisi secundum quid et analogice: ergo similiter sufficit constituere analogiam in sacramentis, et ita vetera non erunt sacramenta, quia significabant Christum futurum; nostra erunt vera sacramenta, quia significant præsentem gratiam.

XLVIII. Respondetur primo, quod significare ut præsens, aut futurum, licet constituat analogiam in ratione particulari verbi, non tamen in ratione generica signi vel termini, et similiter, licet in ratione particulari sacramentorum, qua unum est instrumentum gratiæ, aliud non, non detur univocatio, manet tamen in ratione generica sacramenti et signi.

XLIX. Secundo respondetur, quod sacramenta antiqua non solum significabant gratiam futuram, et in genere causæ finalis illam respiciebant, sed etiam præsentem; aut saltem hoc non erat eis repugnans, non præsentem quæ daretur ex vi ipsorum, seu ex vi operis operati, (hoc enim proprium est nostrorum sacramentorum) sed quæ daretur in vi fidei, dispositionisque suscipientis. Circumcisio enim constat, quod præsentem gratiam significabat, et sic non repugnabat illis præsentem gratiam significare. Et sicut fides, ex eo quod respiciat Christum venturum aut præsentem vel præteritum, non est diversa, sic et antiqua sacramenta, quæ illi fidei innuntantur, non propterea sunt analoga cum nostris, quia Christum venturum respiciebant.

L. Quod si instes: Nam ex hoc sequi videtur, neque specie differre a nostris, sicut neque fides antiqua

et nostra specie differunt, responderetur negando sequelam, et disparitas est, quia fides antiqua et nostra eadem formalem rationem in specie habebat, scilicet, primam veritatem revelantem; qua ratione formali una manente, quantumcumque materialia objecta varientur, non fit specie diversa fides. At vero sacramenta quæ in antiqua lege erant, et quæ in nova distinctam formalem rationem significandi rem sacram habent; præsertim, quia distincta institutione innuntantur, ex qua speciem recipiunt: nam antiqua significabant illam minus expresse et minus efficaciter, non ut exhibitam, sed ut exhibendam. Et sicut religio quæ celebrat Christum venturum, et quæ præsentem, distincta debet esse, et diversis uti cæremoniis, ita et diversis sacramentis, quibus fit protestatio et initiatio talis religionis.

LI. Ad rationem enim sacramenti non solum pertinet facere cognoscere Christum et gratiam, sed etiam ipsam exhibere, cum sit signum practicum; distincta autem ratio est in eo signo, quod exhibet ex vi sua præsentem gratiam, aut quod non exhibet ex vi sua, sed in vi fidei aut dispositionis suscipientis. Variatur ergo ratio formalis sacramenti et cæremoniæ sacramentalis.

LII. Quarto, objicies D. Thomam qui in iv, distinct. 1, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula III ad quintum dicit, quod: « Sacramentum analogice dividitur per sacramenta novæ et veteris legis, sicut sanum in habens sanitatem, et in significans illam. »

LIII. Respondetur primo, D. Thomam retractasse illam sententiam, ut dicunt interpretes, quia in hoc articulo et sequenti, quæstione XLI, per plures articulos docet vetera sacramenta fuisse vera sacramenta, præsertim tria. Cum enim primo articulo inquisisset doctor sanctus an sa-

cramenta essent necessaria ad salutem, plane de veris et propriis sacramentis locutus est. Cum autem postea articulo tertio determinaverit, ante Christum post peccatum fuisse sacramenta, hoc probat ratione articulo primo, quia scilicet necessaria sunt ad salutem, oportet quod de veris etiam sacramentis loquatur, alias consequenter non procederet.

LIV. Secundo, respondetur D. Thomam ibi se habuisse ut commentatorem, et varias explicasse definitiones sacramentorum. Cum autem in illa quæstione tertia incidit sermo explicandi definitionem magistri, quæ dicit quod: « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ut imaginem gerat, et causa existat, » manifestum est, quod in hac definitione non possunt univoce convenire sacramenta antiqua ratione ultimæ particulæ. Et sic D. Thomas ut commentator definitionis magistri, et secundum hanc definitionem optime dixit, non univoce se habere sacramenta vetera et nova, quod non dixit explicans alias definitiones.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum?

I. Ex articulo elicitur duplex conclusio. Prima est, quod sacramentum non est signum unius rei tantum, sed omnium illorum quæ ad sanctificationem nostram causandam concurrunt, et tamquam efficiens, et tamquam forma, et tamquam finis.

II. Secunda conclusio, in calce corporis: Sacramentum (intellige de nostris) respectu passionis Christi est signum rememorativum, respectu gratiæ est demonstrativum, respectu gloriæ est prognosticum.

III. Primam conclusionem probat